

primentes, et impugnantes opinionem, asserentem B. Virginem sine originali labe conceptam: et vicissim contrariam opinionem damnantes hæresis, peccati mortalis, aut impietatis: Alex. VII, in Constit. *Sollicitudo*, die 8 Septemb. 1661. Secundus: Romana Curia Officialibus, aut Judicibus, sive Romæ, sive quocumque loco, in quo dictam Curiam esse contigerit, dantes, recipientes, permittentes, deponentes mediate vel immediate aliquid, quodcumque illud sit, pro justitia, vel gratia, vel in spiritualibus, sive in temporalibus, et mixtis. Alex. VII, Constit. *Inter gravissimas*, 2 Maii 1656. Tertius: Audentes quovis modo docere, tueri, aut ad praxim deducere opinionem asserentem, posse privilegiatos Bulla Cruciatæ eligere confessarium non approbatum ab Ordinario loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, et confessarios eligunt. Innoc. XII, Const. *Cum sicut non sine*, 19 April. 1700, quæ confirmata fuit a Benedicto XIV, anno 1744. Quartus: Carthusiensium Monasteriorum Superior, vel alius ejusdem Ordinis Monachus, sive quælibet alia persona, quæ permittere audeat vesci carnibus, vel eisdem uti in Monasteriis ejusdem Ordinis, sive publice, sive secreto. Clem. XI, Constit. *Ex injuncto*, 11 Maii 1712. Quintus: Missarum elemosinas qui accipiunt abundantiores, et in minori summa conferunt celebrantibus: et Laici quidem seu Sæculares excommunicationis pœnam, Clerici vero, sive quicumque Sacerdotes pœnam suspensionis ipso facto incurrunt. Benedictus XIV, Constit. *Quanta cura*, 30 Junii 1741, quam supra retulimus cap. 3, de Eucharist. Sacrament., § 14, num. 2. Sextus: Absolvens extra casum mortis, et deficiente tunc quocumque alio confessario (etiãsi approbatus non fuerit), personam complices contra sextum Decalogi præceptum, nisi adsit periculum seipsum infamandi, aliisque malam sui suspensionem ingerendi Bened. XIV, Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1 Junii 1741, et in declaratione, seu Constit. *Apostolici muneris* 8 Febr. 1745, de qua suo loco locuti sumus. Septimus: Confessarios innocentes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis ad turpia, qui insimulat. Bened. XIV, in laudata Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*. Octavus: Clausuram Monasteriorum quorumcumque Religiosorum virorum Fœminæ violantes, quæcumque illæ sint, et quocumque prætextu; exceptis Fundatricibus, quæ tamen primo habeant privilegium Pontificium nominatum, et signatum; secundo, ostensum Ordinario, et ab eo recognitum; tertio, ad ingrediendam dumtaxat Ecclesiam positam intra claustra. Benedict. XIV, Constit. *Regularis disciplina*, 3 Januarii 1742. Nonus: Audentes sive pro se, sive pro aliis temere uti facultatibus vel a Romanis Pontificibus concessis ingrediendi monasteria monialium; quas quidem facultates omnes, quæcumque sint, revocat, et irritas declarat Benedict. XIV, Const. *Salutare*, 3 Januarii 1742. Decimus: Edentes, aut publicantes quæcumque confutationem aut interpreta-

tionem Decreti editi circa diminutionem Festorum: secundo, typis imprimentes, vulgantes, seu alia quacumque ratione in lucem edentes libros, libellos, relationes, theses, folia, epistolas, vel alterius cujusque generis opera, sive incidenter, sive ex professo de prædicto argumento tractantia: tertio, quæcumque edita sunt iterum prælo subjicientes, et recedentes; pro Laicis est pœna excommunicationis; pro Ecclesiasticis pœna suspensionis a divinis. Benedict. XIV, Constit. *Non multi menses*, 14 Novemb. 1748. Laudatus Didacus ab Aragonia ulterius contendit, nonnisi a Romano Pontifice absolvi posse: primo, revelantes secretum Sac. Romane Rotæ contra formam Bullæ Urbani VIII. Secundo, revelantes secretum S. Officii, juxta Decretum Clem. XI. Tertio, violantes juramentum quod emittunt Officiales S. Congregationis Rituum, circa Sanctorum Canonizationem. Quarto, violantes interdictum positum a Sede Apostolica. Quinto, tractantes de successore eligendo, vivente Romano Pontifice; et inquirentes per Astrologiam judicariam de statu Christianæ Religionis, vel de vita, et morte Romani Pontificis pro tempore existentis. Sexto, delinquentes contra Constitutiones de Romani Pontificis electione editas, ut diximus supra cum Passerino. Alii fortasse erunt casus, supra quibus, jure merito vere creditur, quod Regulares careant facultate: sed neque tempus, neque opportunitas permittit ulterius inquirere: propterea studiosus Lector eos requirat, atque hic recensitis adjungat ne nostrum hunc novissimum Tertium artic. longius protrahamus.»

### ARTICULUS III.

*Quoad varia alia, quæ concernunt confessarium.*

(1. Confessarius tenetur conformare se quoad judicium Sacramentale opinioni pœnitentis, si ejus opinio sit vere probabilis, etiam contra propriam opinionem. Unde Confessarius tenetur absolvere pœnitentem alias dispositum juxta sententiam vere probabilem ipsius pœnitentis. Si enim pœnitens bona fide sequatur sententiam, quæ a probatis Auctoribus tamquam tua, et probabilis defenditur, Confessarius vero eam speculative improbabilem censeat, tenetur Confessarius, deposita ac relicta propria opinione, pœnitentem absolvere, quia pœnitens habet jus eligendi opinionem vere probabilem, et ut alias dispositum absolvatur. Sic Sanchez lib. 1, in Decalog. cap. 9, n. 27, et sequent. Cardenas disput. 56, num. 1144, et disp. 17, n. 85; cum communiori Doctorum. Immo Layman lib. 1, tract. 1, c. 5, n. 10, dicit, reprehendendos esse Confessarios qui aliter faciunt: «Reprehendenda, dicit ipse, est quorundam Confessariorum consuetudo, qui veritatem pœnitentem contra propriam sententiam absolvere, eundem ad alium Confessarium ablegant, qui oppositam opinionem probabilem tenet; si enim ille alter absolvere potest, cur non et

tu possis? aut cur tua speculativa persuasio pœnitenti obesse debeat?» Vide tamen ad calcem hujus Artic. Præmonitionem Censoris Theologi. (2. Confessarius nec debet, nec potest absolvere peccatores recidivos, et consuetudinarios, qui crebro peccant contra legem Dei, naturæ, et Ecclesiæ, si nulla in ipsis appareat spes emendationis. Ita communis, post expressam damnationem sequentis propositionis ordine 60. inter damnatas ab Innocentio XI, 2 Martii 1679, ibi: «Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, et Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.» (3. Nec potest Confessarius absolvere pœnitentem, qui est in proxima occasione peccandi, quam potest, et non vult dimittere, quinimo directe aut ex proposito quærit, aut ei se ingerit, non excusante, quod illa occasio mutuam conferat utilitatem: Sic expresse habetur ex propositionibus damnatis ab eodem Innocentio XI, una ordine 61, ibi: «Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur quam potest, et non vult omittere, quinimo directe, et ex proposito quærit, aut ei se ingerit,» et altera ordine 62, ibi: «Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.» (4. Nec potest Confessarius absolvere pœnitentes, quos cognoscit, culpabiliter ignorare Mysteria Fidei, et præcipue illud Sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis Christi Domini; ita expresse idem Pontifex in propositione damnata ordine 64, ibi: «Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, et etiãsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.» (5. Nec potest Confessarius in magno pœnitentium concursu ipsos solummodo dimidiatè audire et absolvere, sed debet ipsos singulatim integre audire, et nonnisi integre confessos absolvere, et dimittere. Ita etiam expresse habetur ex definitione ipsius Pontificis in propositione damnata ordine 59, ibi: «Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos ratione magni concursus, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, seu Indulgentiæ.» (6. Religiosi semel simpliciter approbati possunt in Diocesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen Confessione tenentur dicti Religiosi eorundem infirmorum Parochum illico certiore reddere, et hoc potest illis ab Episcopo sub pœna suspensionis a facultate audiendi Confessiones præcipi. Sufficit tamen, ut certioratio hujusmodi, fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. Sic expresse statuit Clemens X, in Constitutione incipiente *Superna*, et jam antea declaraverat Sacra Congregat. Episcop. et

Regul. sub die 1 Julii 1606, et in una Senogallien. 22 Januar. 1616, et in Anconitana 6 Octobr. 1645. (7. Valde convenit, ut Confessarii extra casum infirmitatis, aut alterius honestæ causæ, nonnisi in Ecclesia audiant Confessiones. Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Neapolitana 29 Martii 1593. (8. Et eadem Sacra Congregatio in una Observant. 16 Sept. 1617, approbavit Ordinarii Constitutionem, qua prohibebatur, quod Regulares non audirent Confessiones Sæcularium in propriis Cellis. (9. Confessarii sine necessitate audire non debent Mulierum Confessiones post crepusculum vespertinum, et ante auroram; Sac. Congr. Episcop. et Reg. in Paduana 21 Januar. 1620. (10. Prohibitionem audiendi Mulierum, puerorumque Confessiones extra Sedem Confessionalem, vel e conspectu, et non interposita crate sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus laudavit Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Collen. 13 Decemb. 1693, referente Eminentissim. Petruccio, et postea Literis Encyclicis injunxit Congregat. Inquisitionis, 4 Decem. 1694. (11. Confessarii possunt juberi ab Episcopo, ut denegent absolutionem Parentibus notabiliter contumacibus, quoad Filiorum educationem in rebus ad animarum salutem spectantibus, Clemens XI, 16 Martii 1703. Circulari in Litera pluribus in locis Italice impressa, quam utroque idioma conscriptam refert Genettus in Theolog. Moral., tom. 7, in fine, ad Quartum.

### ADDITIONES AUCTORIS.

(12. Confessarii caveant, ne pœnitentes, quos noverint ab alio sollicitatos absolvant, nisi prius, sive denunciationem fecerint, vel saltem promiserint se denunciaturus quam primum poterunt; Benedictus XIV, Constit. 20, tom. 1 Bullar., incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*.

(13. Confessarii ad turpia sollicitantes denunciandi sunt ab eodem pœnitente; quæ denunciatio fieri debet, etiam si Confessarius sit simplex sacerdos et jurisdictione careat, etiam si pariter sollicitationi ipse pœnitens consenserit; etiam si post ipsam sollicitationem longum jam tempus effluerit; etiam si sollicitatio fiat a Confessario non pro se, sed pro alio; alioquin pœnitens sollicitatus denunciare detrectans, incapax fit absolutionis. Ibid.

(14. Confessarii ad turpia sollicitantes præter pœnas alias a Jure statutas, perpetuam inhabilitatem incurrunt, ad celebrationem Missæ, ut patet ex seq. Decreto S. Universalis Inquisitionis, allato tom. 2. Bullar. Benedicti XIV, in Append., num. 8.

*Feria V. die V. Augusti 1745.*

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, et Universalis inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali, coram Sanctissimo Domino Nostro Domino Benedicto Divina providentia PP. XIV, et Eminent. ac Reverendiss. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Gene-

ralibus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus Noster sollicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac salutaris Pœnitentiæ Sacramento, ad animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illorum perniciem, et damnationem abutuntur; decrevit quod in posterum Sacerdotes, tam Sæculares quam Regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis et Societatis etiam de necessitate exprimendæ, vel in actu Sacramentalis Confessionis, sive illius occasione, aut prætextu ad turpia sollicitantes, vel Sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a jure, Apostolicis Constitutionibus, ac signanter a san. mem. Sixti V et Gregorii XV, contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem. Quodque ejusmodi Decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Præpositis, ad hoc ut de illo, sicuti et de prædictis, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus, juxta præscriptum in Generali Decreto Supremæ Inquisitionis, die 15 Decembris 1633; semel saltem in anno, Feria sexta post octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari congressu suos subditos, ac Religiosos commoendos curent, ejusdemque commonitionis coram Suprema Congregatione juratum Testimonium exhibeant. Sic expresse in Appendice Tomi secundi sui Bullarii pag. 46, n. 8.

Ubi advertendum est, quod publicatio hujus Decreti sufficit, quod fiat per totum residuum mensis Augusti juxta enunciatum Decretum diei 15 Decembris 1633, extensum per aliud ejusdem Sac. Congregationis Decretum diei 11 Februarii 1638, a dicta Feria Sexta ad totum residuum illius ad instantiam Procuratoris Generalis Canoniorum Regularium Lateranensium, quam gratiam omnibus Regularibus suffragari voluit.

(15. Calumniatores vero Confessoriorum quoad sollicitationem, privantur beneficio absolutionis, quæ summo Pontifici reservatur extra mortis articulum. Idem citat. Constitution. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, § 3.

(16. Injungitur Ordinariis, ut in approbatione Confessoriorum Constitutionem Gregorii XV, et præsentem Benedicti XIV, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, et observari curent; ex citat. Constitut.

(17. Constitutio contra sollicitantes a Græcis quoque observari debet. Idem Constit. incipien. *Etsi*, § 9.

(18. Confessarius caret omni auctoritate, et jurisdictione absolvendi socium criminis in ordine ad illud crimen cum illo commissum; et si nihilominus ausus fuerit absolu-

tionem hanc impertiri, ipso facto incurrit excommunicationem (19. Summo Pontifici reservatam, quæ absolutio socii criminis neve ipso Jubilæo, vel privilegio Bullæ Cruciatæ impendi valet; ex cit. Constit.

(20. In mortis vero articulo, si adsit quicumque alius Sacerdos, qui præsentis necessitati provideat, et Confessarius socius criminis pœnitenti alias disposito absolutionem impenderit, absolutio quidem ipsa valet; at Confessarius lethaliter peccat, et excommunicationem reservatam incurrit. (21. Quare non potest id agere Confessarius, nisi cum necessitas urgeat mortis, nec adsit alius Sacerdos saltem simplex qui eandem absolutionem impertiri possit; vel saltem nisi ipse non posset ab hoc munere vacare sine gravi aliqua infamia, vel scandalo. Tenetur proinde omnia media adhibere citra scandalum vel infamiam suam ad hoc, ut ipse se subtrahat, et alium si fieri possit, substituat. Sic ex altera Constitut. ejusdem Pontificis incip. *Apostolici muneris*, in qua declarat priorem Constitut. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*. Vide verb. *Complex peccati*, num. 22, ubi præf. Constitutio *Apostolici* affertur ad literam.

(22. Confessariis interdicitur exquirere a pœnitentibus nomina complicum, sive sociorum in crimine. Idem tom. 1, Constitut. 134, incip. *Suprema*. (23. Et hæc perversa praxis exquirendi a pœnitentibus complicum nomina, et denegandi absolutionem, nisi illa manifestarent, damnatur, et prohibetur sub gravissimis pœnis. Idem tom. 2, Constitut. 8, incip. *Ubi primum*. Vide supra tradita jam verb. *Complex peccati*. (24. Et declaratur quod hujusmodi sanctio generalis sit pro omnibus locis, et personis. Idem Constitut., 20, incipien. *Ad eradicandum*.

(25. Confessarii hac in re delinquentes cum suspitione pravi dogmatis denunciandi sunt Officio S. Inquisitionis ab iis, qui quoquo modo eorum delictum cognoverunt. Idem in cit. Constitut. incip. *Ubi primum*. (26. Pœnitentes tamen in casibus, et causis propriis non tenentur denunciare. Idem, ibid. (27. Inquisitionis Officium contra hujusmodi delinquentes procedere debet ad formam suarum consuetudinum et facultatum. Idem, ibid. (28. Confessarii in præmissis delinquentes sine suspitione pravi dogmatis judicandi sunt a suis Ordinariis. Idem, ibid.

(29. Confessarius Ordinarius Monialium unicus pro tota Communitate deputari debet. Idem tom. 2, Constitut. 16, incip. *Pastoralis Curæ*. (30. Præterea Extraordinarius iisdem concedi debet bis aut ter in anno, ex Decreto Concil. Trid. Idem, ibid. (31. Quod intellige non de singulis Monialibus peculiariter, sed de tota Communitate. Idem, ibid. (32. Hic autem Confessiones omnium monialium, quæ eidem confiteri velint, audire debet. Idem, ibid. (33. Moniales tamen non tenentur, singulæ eidem peccata sua confiteri, sed sufficit ut omnes in Monasterio degentes coram ipso se sistant. Idem, ibid.

(34. Confessarii Extraordinarii electio per-

tinet ad Ordinarium loci pro Monasteriis sibi immediate subjectis, seu ad Superiorem Regularem pro iis, quibus de cætero Confessarium Ordinarium deputare consuevit. Idem, ibid. (35. Pro utrisque Confessariis tam Ordinariis quam Extraordinariis, requiritur expressa approbatio Episcopi, seu Ordinarii loci. Idem, ibid. (1).

(36. Prælati Regularis negligentia in deputatione Confessoriorum Extraordinariorum suppleri debet ad Ordinario: Ordinarii vero incuria a Cardinali Majori Pœnitentiaro. Idem, ibid. (37. Confessarius Extraordinarius Monialibus peculiariibus denegari non debet in casu gravis infirmitatis, etiam post alteram, aut tertiam concessionem universo Monasterio indultam. Idem, ibid. (38. Et si a Prælato Regulari denegetur, Ordinarius loci poterit eum deputare. Idem, ibid. (39. Idem procedit in casu, quo Monialis aliqua firmiter recuset ordinario Monasterii Confessario confiteri. Idem, ibid. (40. Si vero Monialis Extraordinarium peculiarem Confessarium optet pro spirituali dumtaxat consolatione et profectu, suadetur Ordinariis et Regularibus Prælati, ut faciles se exhibeant in hujusmodi concessionibus. Idem, ibid. (41. Pœnitentiaro Majoris jura in præmissis firma semper intelliguntur. Idem, ibid.

(42. Pro Monialibus, quæ Regularibus subjectæ sunt, Extraordinarius Confessarius deputari potest tam e Clero sæculari, quam ex altero Ordine. Idem, ibid. (43. Verum saltem semel in anno deputari jubetur Sacerdos, vel sæcularis, vel alterius Ordinis ab eo cujus est monasterii Prælati. Idem, ibid. (44. Hanc legem ab Innocentio XIII et Benedicto XIII maturo præmisso examine statutam, Pontifex declarat generaliter esse, et ubique observandam, ipseque expresse extendit ad omnia Monasteria Regularibus subjecta. Idem, ibid. (45. Et dat facultatem Episcopis sive Ordinariis, supplendi hac in re Regula-

(1) Notandum hic quod Pontifex, quando in suis Constitutionibus injungit Confessarios Monialium debere esse approbatos ab episcopo seu Ordinario loci, non agit de Monialibus quæ subjacent Prælati, seu Abbatibus jurisdictione quasi Episcopali gaudentibus in territorio nullius Diocesis. Hujusmodi enim Prælati, et Abbates possunt in Diocesi sibi assignata quidquid potest in sua Diocesi Episcopus, iis tantummodo exceptis, quæ pendent ab Ordinis potestate, ut apertè docet Bened. XIV, lib. 13 de Synodo, cap. 25, num. 2. Idem pariter dicendum cum proportione de Abbatissis territorium hujusmodi separatam habentibus. Illæ enim pro suis Monasteriis Confessarios designant approbatos a Viris doctis, quos ipsæ ad hunc effectum destinant; Mendo in Epitome verb. *Abbatissa*, n. 4. Neque id novum censendum est, ait Mendo, cit. de Ordin. Milit. disput. 7, q. 4, num. 39. Plures scilicet Abbatissas Monialium gaudere jurisdictione Ecclesiastica respectu suorum Vassalorum, quam per se ipsas nequeunt exercere, sed designant personas, ut eam exercent, et illico post designationem absque confirmatione Pontificis, et sine licentia alterius Prælati eam exercent, quia a Pontifice derivatur in eos, hoc ipso quod ab Abbatissis designentur, quæ designatio fit ex concessione, et privilegio Sedis Apostolicæ. « Attamen, subjungit idem Mendo, ego proprius loquendo, non

assererem, eas Abbatissas gaudere jurisdictione spirituali (prout gaudere affirmant Emanuel Rodriguez in summ. tom. 1, lib. 9, cap. 49, num. 1. Flores de Mena in variis quæst. qu. 10, n. 4. Miranda in Manuali prælat. tom. 2, de Sac. Monial. qu. 6, art. 5, concl. 4. P. Reginaldus in Summ. tom. 1, lib. 9, cap. 7, sect. 2, n. 117), sed gaudere privilegio, ut designent Viros Ecclesiasticos, qua designatione facta, illi a Pontifice eam jurisdictionem accipiant. Quare Pontifex apponit ut conditionem, designationem personarum ab Abbatissis præstandam, qua designatione apposita, ac impleta, jurisdictionem eis personis concedit, non expectato alio requisito, nec confirmatione Pontificia. » Hæc Mendo cujus doctrina confirmata in terminis per ea, quæ P. Franciscus Suarez in 3 Part. D. Thomæ, disp. 26, de Pœnit. sect. 1, habet his præcisè verbis: « Aliquando vero contingit in Ecclesia, ut laicis, vel fœminis concedatur facultas providendi, seu nominandi Confessores pro suis familiis, vel subditis: illa vero non est commissio jurisdictionis, quæ talibus personis fiat: sunt enim jurisdictionis spiritualis incapaces: sed solum est potestas ad eligendam, vel designandam talem personam qua designata, Pontifex, seu Prælati Ecclesiasticus, qui talem facultatem dedit, confert illi jurisdictionem. » (Edit. Barbiell.)

rium Superiorum negligentiam, et defectum; si nempe pensatis rerum circumstantiis, ita expediens esse judicaverint. Idem, ibid. (46. Confessarius extra Ordinem alicui Monasterio, vel Moniali deputatus, expleto officio suo, abstinere debet ab accessu ad claustra, nec commercium etiam spiritualis causæ obtentu, cum monialibus fovere. Idem, ibid. (47. Confessarius Ordinarius Monialium Confessiones excipere nequit, durante officio, et deputatione Extraordinarii: nec alia ratione huic impedimentum afferre, ne munus suum implere valeat. Idem, ibid.

(48. Confessarius Regularis Monialium, qui non est Monasterii Prælati, Judex esse non potest in causis super nullitate earum Professionum. Idem, tom. 2 Constit. 17, incip. *Si datam*.

(49. Confessoriorum facultates occasione Jubilæi assignantur a Benedicto XIV, tom. 1, Constit. 110, incip. in *Suprema* § 4, et sunt illæ jam assignatæ infra, ad verb. *Jubilæum*, art. 2. Vide ibid.

(50. Confessoriorum facultates in vim Bullæ Cruciatæ assignantur ab eodem Constit. 86, incip. *Quoniam* § 8 et 10. Vide tom. 1, verb. *Bulla Cruciatæ*, ubi abunde de omnibus. (51. Confessarius electus in vim Bullæ Cruciatæ pro absolutione a Censuris, et peccatis reservatis, approbatus esse debet ab Ordinario loci, in quo Confessiones excipit. Idem Constit. 100, incip. *Apostolica Indulta*, § 2. (52. Quod extenditur ad alia Indulta similia. Idem, ibid., § 5. (53. Et declaratur comprehendere omnes personas in Indulto comprehensas, etiam Regulares, sub pœna nullitatis absolutionis. Idem, ibid., § 6. (54. Confessarius absolvens absque approbatione Ordinarii loci, incurrit pœnam suspensionis ipso facto, et absolutio est nulla. Idem, ibid., § 12.

(55. Confessarii quotannis, sicut Parochi, vacare debent exercitiis spiritualibus. Idem, tom. 1, Constit. 2, incip. *Ubi primum*, § 3.

(56. Confessarius, si audierit pœnitentem et non absolverit, requiraturque de atestatione confessionis in scriptis, debet illam concedere, non tamen unquam affirmare debet, se illum absolvisse nec tunc pariter cum illum absolverit, nam alias si de aliquo hoc attestatus fuisset, et de aliquo non, revelationis Confessionis periculum subiret. Institut. Eccles. 45, § 10.

(57. Si pœnitens tempore Paschæ absolutionem obtinuit, sed ex consilio Confessarii admonetur, ut aliquo tempore absteat a communione, potest parere absque peccato. Non tamen potest Confessarius ad arbitrium prorogare eam communionem, ut ex cap. *Omnis utriusque sexus*, de Pœnit. et Remiss. Ibid. § 16.

(58. Hic juvat ad rem adducere novissimum Decretum, seu responsum Sacræ Apostolicæ Pœnitentiariæ ad seq. dub.

*Eminentissimi Signori.*

Alcune Monache professe esistenti in questa Città di Torino, umilmente prostrate a piè dell' Eminenze Vostre, espongono qualmente avendo ricevuto dalla carità di cotesta Sagra Peniteuziaria la facoltà in termini consueti, di potersi tre volte l'anno confessare Sacramentalmente da Confessore approvato dall' Ordinario; anzi dalla recente Costituzione del Regnante Sommo Pontefice per il Giubileo, di cui ha aggraziato li Monisteri, essendo concesso alle Monache potersi, nel tempo ivi prefisso, confessare da qualunque Confessore approvato per Monache, insorto perciò qualche dubbio.

Supplicano l'Eminenze Vostre degnarsi dichiarare in riguardo al primo punto, se quelle parole *A Confessario approvato ab Ordinario*, quali si leggono nelle Lettere, o Indulti della S. Peniteuziaria, possano nel caso surriferito estendersi assolutamente à Confessore già stato ordinario, o straordinario del medesimo Monistero supplicante senz'altra nuova approvazione. In rapporto al secundo punto, se la predetta Costituzione s'intenda pure come sopra, di Confessore stato già approvato per ordinario, o straordinario, o di qualunque altro. Che della Grazia.

DECRETUM

*Sacræ Pœnitentiariæ.*

Sacræ Pœnitentiaria ex deductis in hoc supplici libello respondet: Indulta, de quibus agitur, per ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ organum a Summo Pontifice concedi Monialibus consueta ex eorumdem Summorum Pontificum mente ac voluntate, non cadere sub regulas in constitutione S. M. Clementis papæ X, incip. *Superna*; sive in aliis consimilibus. Quare declarat sufficere, quod Confessarius vigore hujusmodi indulti ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ a Moniali eligendus fuerit alias, etiam semel, ad Monialium Confessiones audiendas ab Ordinario approbatus, nisi constet eumdem Confessarium fuisse postea ob demerita, quæ ipsas Confessiones concernant, ab eodem Ordinario positive reprobatum

Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria die 10 Martii 1750.

*Nota censoris Theologi, ex Edit. Romana, quoad varia quæ concernunt confessarium.*

Opinio, quam numero primo recenset, atque inculcare videtur Auctor Romanis Censoribus non placuit. Quamobrem de eorum sententia præmonendos hic Lectores duximus. (59. Nec dubitamus, quin attendentes ad Confessarii munia statim intelligant, falsam esse opinionem, quæ prædicat: teneri Confessarium ad conformandum se voluntati Pœnitentis, quem absolvat, etsi hanc minus probabilem, atque hanc speculative falsam existimet. Nemo ignorat Confessarium Dei vices in Tribunali sustinere atque Doctoris, Judicisque personam gerere. (60. Si ut Doctorem se gerere velit, doceat, instruat, atque illuminet Pœnitentes necesse est; et si Judicem a Deo constitutum se ostendere velit, absolvere, aut ligare Pœnitentem debet, prout ex scientia, quam habet in Domino, judicaverit. Hæc sane sunt munia, quæ ex Christi institutione Confessarius exercet.

(61. Contra vero Pœnitens ad illius Tribunal accedere tenetur humili, demisso, atque contrito animo, ut a Doctore erudiat, a medico salutaribus monitis et satisfactionibus curetur, et ut a Judice sententiam exposcat, atque obtineat juxta legem, ejus is custos atque interpret habetur. Dum ita rem concipimus, ut concipienda, atque existimanda revera est, fieri potest, ut statuamus, teneri Confessarium ad accommodandum se opinioni Pœnitentis, atque ad hunc absolvendum, non solum dum cognoscat probabilis esse versari in periculo perditionis, sed etiam dum id speculative ipse certum omnino habeat? Ubi enim tum munus doctoris in Confessario esset, si pœnitentem non moneret, viam quam ipse tenet, probabilis in infernum ducere; immo juxta propriam opinionem etiam certo? Ubi munus medici, si non curaret, ut Pœnitens juxta eam quam ipse salutarem, ac peccato inimicam doctrinam agnoscat, deinceps viveret? Ubi denique judicem se ostenderet, si juxta rei opinionem, et contra propriam sententiam reum Pœnitentem absolveret, immo absolvere teneretur? Audi S. Bonaventuram, Confess. c. 4, ita exclamantem: « O inauditum philosophandi genus! Judex sententiam ferre debet ad arbitrium rei, et reus Judici obtemperare non tenetur? » (62. Itaque si Confessarius post diligens examen veram, aut verosimiliorem judicat propriam opinionem, absolutionem Pœnitenti impertiri non tenetur opinione contraria persuaso, sed instruere, ac monere eum potest, ut juxta propriam opinionem vitam instituat; et si id renuat, potest etiam absolutionem negare, ac etiam debet, dum eam in Pœnitente animi dispositionem non agnoscat, quæ necessaria in eo est, qui humili, atque contrito animo ad Sacerdotem accedat, e cujus labiis divinam legem exquirere debet. (63. At si Pœnitens sit valde doctus, et probus, et Confessarius minus doctus, dum Pœnitens

habet opinionem, quam judicat probabilior, et verosimiliorem, tum Confessarius minus doctus etsi præventus opinione contraria, dum deprehendat, Pœnitentem doctum non duci pravo affectu, poterit, inquit P. Gonzalez, proprium judicium deponere, et doctrinam probabilioris Pœnitentis assumere, suamque facere, et illum absolvere; sed caute procedendum Confessariis, ac cavendum semper, ne minus probabilibus, ac laxis Pœnitentium opinionibus indulgeant, recte enim Dei nomine judicare ipsi debent; ac recte non judicant dum probabilis existimant contra Dei legem judicium esse; et dum eam absolvunt, quem juxta propriam sententiam probabilis censent Dei legem violaturum.

*Responsio auctoris.*

(64. Negat hic R. Theologus posse ac debere Confessarium contra propriam opinionem absolvere pœnitentem alias dispositum, juxta sententiam vere probabilem ipsius pœnitentis, et adducit pro se S. Bonaventuram in Confessionali, cap. 3. sic exclamantem, et inclamantem: « O inauditum philosophandi genus! Judex sententiam ferre debet ad arbitrium rei et reus judicis judicio obtemperare non tenetur? » Et tamen in S. Bonaventura in dicto Confessionali tom. 6. Edit. Rom. ex Typographia Vaticana an. 1596. loco a Theologo cit. nullimode reperitur falso allegatus textus. Unde videat eruditus Lector, quid in his similibus sit sentiendum, tum quia ultra a me ibi dicta, et allegatos Auctores, plures, ac plures alti classici Doctores etiam in latioribus terminis, quam mea conclusio, id defendunt; et signanter clarissimus Sporer tom. 3. Theol. Sacram. part. 3. cap. 6. sect. 4. qu. 3. num. 1. expresse dicens, quod Confessarius tenetur sub mortali absolvere pœnitentem rite dispositum. « Idque etiam verum est, quando pœnitens sequitur opinionem vere probabilem contra opinionem propriam, quantumvis probabilior, Confessarii; adhuc enim est recte dispositus per probabilem DD. sententiam volens vitare peccatum, ut ex communi doctrina alibi explicata, id est t. 1. tract. 1. de conscientia probabili, n. 47. expresse tradens, quod Confessarius in judicio Sacramentali etiam contra propriam opinionem sibi magis probabilem et tutam visam, tenetur se conformare opinioni probabili, et tutæ pœnitentis, et dicit, » quod est communis, et certa sententia Navarri, Suarez, Sanchez, Vasquez, et aliorum cum Layman, et Bardi. Et supra n. 43. jam concluserat, quod quilibet potest prudenter sequi opinionem vere probabilem, et vere tutam, nihil obstante, quod alia opinio opposita sit, vel appareat probabilior, ac tutior, et ad id ultra alios a se ibi adductos, dicit quod quinquaginta quos citat Pasqualigus decisionum moralium decis. 5. num. 3. addens sub num. 44. « Id etiam contra propriam opinionem probabilior, et tutiorem visam. » Et celeberrimus La Croix editionis Mediolanensis 1724. tom. 1. lib. 1. de conscientia, num. 443. ad qu. 54. « An Confessarius possit vel debeat con-

tra propriam opinionem, etiam probabilior, absolvere pœnitentem, qui tenet oppositam probabilem, et de reliquo rite est dispositus? » ibidem sub n. 443. sic præcise respondet: « Supposito casu quæstionis, vel alio simili, omnino videtur certum, quod Confessarius teneatur absolvere pœnitentem », ita docent auctores communissime; inter quos Victor. in sum. de Confess. num. 178. citans Palud. et Goffred. Navarrum in Man. cap. 26. num. 4. citans Adrianum, Reginaldus de Prud. Confess. cap. 3. sect. 1. § 1. num. 7. Angelus de Clavasio, qui floruit circa annum 1480. in Sum. verb. Confessio, § 2. Joannes Wider sub ann. 1430. in consolat. timor. cons. 3. part. c. 12. et 15. citans præterea Claromontensem, et Erdemberg, Dominic. Sot. in 4. dist. 18. qu. 2. art. 5. Tolet. lib. 3. Instruct. Sacerdot. c. 20. Suarez t. 2. tract. 3. dist. 13. sect. 6. Diana part. 2. tract. 3. R. 11. addens: licet putet, opinionem pœnitentis esse falsam, dummodo reputet probabilem; Layman, et Schild. tract. 12. num. 121. Cardenas in addit. ad 1. crisin. n. 13. 14. et sequent. Mendo in stat. dist. 13. num. 205. Stoz. lib. 1. part. 5. n. 117. et lib. 2. n. 131. Optimo Teril. in Reg. q. 47. Ills. § 1. dist. 1. n. 71. et ibi usque ad n. 453. efficaciter probat, et solvit objectiones. Et missis pluribus aliis Felix Potestas tot vicibus impressus, et reimpressus in Examine Confessariorum, tom. 1. part. 1. num. 73. sic expresse tradit: « Sequitur tertio, teneri Confessarium absolvere pœnitentem alias dispositum juxta sententiam ipsius pœnitentis, dummodo sit vere probabilis; quia pœnitens habet jus ad eligendam opinionem vere probabilem, et ut alias dispositus absolvatur. » Et nostram sententiam defendit novissime cum pluribus aliis S. Alphonsus de Liguori loc. cit. cap. 16. puncto 6. n. 117. ubi postquam dixerit, quod « lo negano Fagnan. Elizal. Concina, Antoine, ed altri fautori della piu rigida sentenza, dicendo, che nel Sacramento della Confessione è Giudice il Confessore, ed il penitente deve stare al giudizio del suo Giudice. Ma la sentenza comune insegna, che il Confessore in tal caso può, ed è tenuto assolverlo sotto colpa grave... » et pluribus citatis sequitur sic: « ed in ciò consentono anche molli Autori Probabilioristi, come Vigandt, Pontas, Vittoria. » Videatur ipse ibi n. 118. et 119. ubi multa ad rem.

*Additiones ex editione Barbielliniana.*

(65. Etsi fatear opinionem, quam superiori responsione Lucius noster tuendam suscipit, a pluribus Theologis defendi, adduci tamen, ut illam approbem, nullo modo possum. Nihil enim solidi ab ejusdem Patronis afferitur, vel afferri potest, ex quo efficiatur. I. Opinionem minus probabilem, pro libertate, qua pœnitens est imbutus, cum opposita probabiliori pro lege, quam Confessarius amplectitur, collatam, reapse probabilem, ac tutam esse. II. Pœnitentem a Confessario admonitum, qui abjicere opinionem probabilem pro libertate cum probabiliori pro lege